Christo nobis ostenderet · quia cum diligendo
lucrum facere de inimicis possumus · etiam
ipsi amici sunt qui persequuntur ; Sed ecce nos
usque ad mortem nemo persequitur ; Unde ergo
probare possumus an diligimus amicos ; Sed est
quod in pace sanctae ecclesiae fieri debet · unde
clarescat si persecutionis tempore mori pro
dilectione valeamus ; Certe isdem iohan
nes dicit ; Qui habuerit substantiam mun
di huius · et viderit fratrem suum necessitatem
habere · et clauserit viscera sua ab eo · quo
modo caritas dei manet in eo · Hinc etiam
iohannes baptista ait ; Qui habet duas
tunicas det non habenti ; Qui ergo tranquil
litatis tempore non dat pro deo tunicam suam
quando in persecutione daturus est ani
mam suam ; Virtus ergo caritatis ut invic
ta sit in perturbatione · nutriatur per mi
sericordiam in tranquillitate · Quatenus omnipo
tenti deo primum discat sua impendere ·
postmodum se ; Sequitur ; Vos amici mei estis ;
O quanta est misericordia conditoris nostri ; Ser
vi digni non sumus · et amici vocamur ;
Quanta est dignitas hominum esse amicos dei ;
Sed audistis gloriam (margin) di[...] dignitatis · audite et la
borem [...] certaminis ; Si feceritis
quae ego praecipio vobis · amici mei estis
si ea quae praecipio facitis ; Ac si aperte dicat ;
Gaudetis de culmine · pensate quibus labo
ribus venitur ad culmen ; Certe dum filii ze
bedaei interveniente matre quaererent
ut unus ad dexteram dei et alius ad sinistram
sedere debuisset · audierunt ; Potestis

bibere calicem quem ego bibiturus sum ;
Iam locum celsitudinis quaerebant ; ad viam
illos veritas revocat · per quam ad celsitu
dinem venirent ; Ac si dicatur ; Iam vos
locus delectat celsitudinis · sed prius vos
via exerceat laboris ; Per calicem pervenitur
ad maiestatem ; Si mens vestra appetit quod
demulcet · prius bibite quod dolet ; Et sic
per amarum poculum confectionis pervenitur
ad gaudium salutis ; Iam non dicam vos ser
vos · quia servus nescit quid faciat dominus
eius ; Vos autem dixi amicos · quia omnia quae
cumque audivi a patre meo nota feci vobis ;
Quae sunt omnia quae audivit a patre suo
quae nota fieri voluit servis suis ut eos effi
ceret amicos suos · nisi gaudia internae
caritatis · nisi illa festa supernae patriae
quae nostris cotidie mentibus per adspiratio
nem sui amoris imprimit · Dum enim audita
superna caelestia amamus · amata iam
novimus · quia amor ipse notitia est ;
Omnia ergo eis nota fecerat · quia terrenis
desideriis immutati · amoris summi
facibus ardebant ; Istos vero amicos dei
aspexerat propheta cum diceret ; Mihi autem
nimis honorificati sunt amici tui deus ;
Amicus enim quasi animi custos vocatur ;
Quia igitur psalmista prospexit electos dei
a mundi huius amore separatos · custo
dire in mandatis caelestibus voluntatem
dei · miratus est amicos dei dicens ; Mihi
autem nimis honorificati sunt amici tui deus ;
Et tamquam si ab eo peteretur causas honoris